



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VIII. Laicus contra clericum testimonium non potest perhibere, nisi suam vel suorum prosequatur iniuriam: sed nec tunc potest eum accusare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

ritati: prudentia tua volumus innotescere, quod si factum est manifestum, non eget testium depositionibus declarari: cum manifesta, sicut tua non ignorat discretio, probationem vel ordinem iudicarium non requirant. Vnde si manifestum non est, & is qui conuenitur, factum negauit, testes qui interfuerunt facto, ex consuetudine Romanae ecclesiae monendi sunt, non cogendi, ad testimonium ferendum veritati: nisi forte timore aduersae partis constaret iudicia ferendo testimonio reuocari, licet de rigore humani iuris ad hoc forte possint compelli. Si vero presbyter vel clericus alius aliquem laicum de rebus suis vel ecclesiae impetierit, & laicus res ipsas non esse ecclesiae vel presbyteri, aut clerici, qui eum exinde impetit, sed suas proprias asseuerat, laicus ipse debet de rigore iuris super hoc ad forense iudicium trahi, cum actor semper forum rei sequatur, licet in pluribus partibus aliter de consuetudine fiat.

l. q. i. Manifesta.

In quo casu testes cogendi.

CAP. VIII.

*Idem Salernitano archiepiscopo. Pars capituli, Licet pater.*

De cetero laicos in accusationem vel testimonium contra clericum in criminali causa non esse aliquatenus admitte-  
ndos, censura sacrorum Canonum manifestius edocet: nisi forte suam vel suorum iniuriam persequantur, nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti.

CAP. IX. *Idem eidem in eadem epistola.*

In causis ecclesiasticis vel ciuilibus ultra tertiam productionem non debent testes produci, nisi adhibita quadam solennitate, quae in legibus inuenitur expressa: & super dictis testium, cum fuerint publicata, potest publice disputari.

CAP. X.

*Idem praeposito & canonicis Eburdinensis ecclesiae.*

Cum tu fili praeposite, cum quibusdam canonicis tuis, & frater noster venerabilis archiepiscopus pro causa quae inter vos & ipsum vertebatur, in nostra essetis praesentia constituti, archiepiscopo asserente, quod vos ante appellationem excommunicasset, & postulante sententiam suam